



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. Sanctis, cælo aspecto, terram sordescere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

*timenda. Circumspicite, quàm leuibus causis
discutiamur. Hucusque Seneca.*

§. V

Sanctis, celo aspecto, terram sordescere.

Ælian.
lib. 8. c. 15.
de ani-
mal.

Hoc vtili absinthio terra sapientibus
amarefcit, & dulcescit cælum. Apud In-
dos tractus est, cui nomen *Phalacra*, quasi
Latinè *Caluus*: eoque ita appellatur, quòd,
qui herbam in eo nascentem degustàrit, &
pilos & cornua amittat. Itaque elephantis,
nisi cogantur, non accedunt ad locum illū:
immò verò prope cùm accesserint, perin-
de ac homines prudentissimi, ab omni il-
lius loci gramine refugientes, pedem refe-
runt. Ad hunc modum, quibus terra est do-
micilium voluptatis, & qui delitias eius,
tanquam herbas degustant, & cæsariem,
& cornua, hoc est, ornamentum & robur
animorum perdunt. Prudentes igitur, ele-
phantorum ritu, quia non tam amœnita-
tes, quàm vanitatem rerum terrenarum,
tanquam pestifera gramina, & virulentas
Circes herbas, considerant, facilè hæc ca-
duca contemnunt, animumq; ad maiora
traducunt. Vident enim, fallacia esse, quæ
hîc blandiuntur. Experiuntur, non agi-
tari tantùm ventis aërem, fluere aquas,
volare

volare ignes, sed neque in ipsa terra solidam esse stabilitatem: cælum solum & cælestia perennare. Quamobrem, de S. N. Ignatio author vitæ illius hæc scribit: *Audinimus sæpè illum, extrema etiam senectute, cum in cælum, quæ liber circumspectus erat, oculos sustulisset, eosq; aliquantisper fixos habuisset, obortis, prælatitis, lachrimis, dicentem: HEU QUAM SORDET TERRA, CVM CÆLVM ASPICIO! Sic docuit Eucherus, *raptandos nos in futurorum cupiditatem, si cogitemus, QUAM FVLGEBIT MAGNIFICA PERPETVIS FORMA REBVS, CVM SIT NVNC TAM SPECIOSA PERITVRIS? Sic monuit D. Chrysofomus, quantumuis ampla & splendida regū palatia auro multo & gemmis fulgentia, nihil à ludicris puerorum ædificijs, à nidis ex luto festucisque compactis, à formicarum operibus differre censenda, si cælum suspexerimus. Sic iubet S. Ephrem nos inter terram ac cælum instituere comparationem, & cognoscere, quàm omnia, in terris, tandem cadant, sicut frumentum, quod, suo tempore maturum metitur; in cælo autem, & sol, & luna, & omnes astrorum chori, à primo creationis suæ die, lumen incorruptum**

Petr. Ribad. lib. 10. c. 2. vitæ.

Eucher. in paran. ad Valerianum.

S. Chrysof. serm. 2. ad Coloss. & serm. 15. in 1. ad Timoth. & hom. de vanit. vitæ.

S. Am-
bros. l. I.
Hexaem.
cap. I.

ptum seruent, quo ipso quondam illius regionis indicant perpetuitatem. Sic D. Ambrosius, magnitudine & pulchritudine Solis perpensa, digito monstrari scribit, ex ipsa siderum formositate, magnitudine, duratione, Conditoris pulchritudinem, immensitatem, & æternitatem, cuius creatæ venustati, ac moli, & æuo incomparabiliter anteponebam Si enim, quæ fixa sunt & stabilia, caducis; si magna paruis, si vera vanis, si fugitiuis æterna bona censentur meliora, quàm facile est, inter hæc inferiora, & illa superiora discernere? inter lutum & aurum, inter vitra & gemmas facere electionem?

§. VI.

Caduca, in mundo omnia, calo perdurante.

Blandiuntur flores? nullus ultra mensem suum perdurat. Arrident silvæ? exciduntur, aut ventis sternuntur, aut conflaurant, aut senio arescunt. Allicit elegans vultus? Nihil formâ fugacius, adeo ut Phauorinus pronunciet: post paucos annos, in viuente etiam nū Alcibiade, quondam pulcherrimo, ab ijs ipsis, qui eius formam demirati aliàs fuerant, Alcibiadem quæsitum fuisse. Virent prata? flauescunt arua?

Phauo-
rin. apud
Stobæum
serm. 66.